25324

Med.

DECANUS FACULTATIS MEDICÆ

GEORGIUS VVOLFF-GANGUS WEDELIUS,

MED. DOCTOR, ARCHIATER ET THEORETICES PROFESSOR PUBLICUS,



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.



VErissimum esse assertum: Ex quibus vivimus & nutrimur, ex iisdem quoque ægrotamus & morimur, & ipsa res demonstrat, si consideremus machinam vitalem penitiùs, & concors sententia Medicinæ & Philosophiæ procerum.

Principia vitalia omnium viventium & mixtorum, adeoque & hominis statuuntur à *divino Sene* duo, ignis & aqua, id est, sanguis & serum, *l.1. de diæt. c.4. t.1 & l.2. de diæt. c.31. t.11.* sic ut auctionis, generationis & morborum ex his arcessat originem, ipsamque animam ex horum συγκρᾶσει, *contemperatione*, constare asserat.

Liceat unicè laudare, quæ de alimento scribit, *l.c. l.1. c.8. t.16.* alimentum procedere, *inquiens*, ἀπὸ ὕδατος ξηροῦ, καὶ πυρὸς ὑγροῦ, *ab aquâ siccâ, & igne humido.* *Lindenius* secutus per omnia ferè *Marinellum*, ut hic *Cornarium*, *ab aquâ & igne, sicco & humido* vertit, eodem quidem sensu, sed vix ἔμφασιν textûs assequente.

Conformis *Coo Philosophus sect.1. problem. ult.* εἰσὶ δὲ νόσοι, *inquit*, αἱ μὲν, ἀπὸ πυρός· αἱ δὲ, ἀπὸ νοτίδος, *morborum alii ab igne, alii à rore creantur.* Quid convenientius dici posset? quid clarius, & ad mentem *Senis* aptius? Idem quoque intendit *Pergamenus*, quando *l.3. Epid. comm. 1. t.4.* humores sanitatis autores æquè ac morborum esse statuit. Si proportionati sint inter se, si instructi debitâ qualitate, ut δυνάμεις & ἀκρότητας obtineant moderatas, sanitas affulget; sin minus, contrarium accidit. Licet enim id de quatuor illis humoribus intelligat; idem tamen innuit, cum pituita seri, bilis sanguinis fœtus sit vel affectio, acidum utrique commune melancholiam geminam pariat.

Exempla morborum à serosâ colluvie oriundorum plura collegit *Carolus Piso libro singulari*; ut ab igne febres cum-

primis arcessuntur, unde eodem nomine, πυρὸς, πυρετὸς, denominari consveverunt. Ex utroque videtur conflata arthritis, articulorum dolorificus affectus molestissimus, ardore & fluxione infamis.

Sanè si attendimus, quæ solenni olim velut decreto & consensu de arthritidis causis statuminata sunt, caput ceu fontem humidi plerique accusarunt, ut nihil frequentiùs legas, quàm in his & aliis dolorosis affectibus depluos à cerebro catarrhos in causâ esse, adeoque exiccandos, intercipiendos & tollendos.

Et negari non potest omninò, fluxiones de capite celebrari quoque ab *Hippocrate* non paucas, quam in rem laudamus vel unicum textum *l. de loc. in hom. cap. 18. t. 1. seqq.* ubi non possumus non meminisse *t. 15.* cum anticas partes posticis, ventrem dorso opposuisset, ferri innuens humores vel ad ventrem, vel πρὸς τὴν ῥάχιν, redditum hoc falsò esse communiter *ad nasum*, cum mens & verba textus dicta *ad spinam* fieri lationem evincant. Adeò errante primo & alter & tertius eundem errorem propagat, ut vel hinc pateat, quanti intersit fontes consulere Græcos.

Enimverò si horum nos demittamus in penetralia intimiora, causa videtur laudanda, quare ad catarrhos, ad caput retulerint medicorum plurimi causam arthritidis & similium aliorum quoque affectuum, confusio nempe catarrhi & rheumatismi, uno defluxionis nomine communi venientium.

Uterque est motus vitiosus humorum, diversus tamen, non unus. Catarrhus sero proprius, rheumatismus sero & sanguini conjunctis magis. Illius defluxus magis fit in cavitates manifestas, fauces, nares, pulmones; hujus in poros & carnes. Catarrhus successivè magis, rheumatismus ἀθρόως καὶ βιαίως, *confertim & cum impetu*, adeoque & dolore; alter influendo effluit seu extravasatur, hic effluendo influit & στάσιν habet conjunctam longè acerbiorem.

Colli-

Colligere id licet abundè tum ex laudati *Senis* pluribus locis, quos inter huc pertinet *l. de carnib. c.17. t.16.* tum ex usu loquendi genuino recepto; unde si contrarium aliquando occurrat, id ἀκύρως & latè intelligendum magis fuerit, quàm propriè; tum quoque ex re ipsâ, seu humorum excernendorum modo ac naturâ. Germanis uno nomine communi audit fluxionis, qualis æquivocatio aliàs in rupturæ & fracturæ redditione occurrit quoque.

Non minus verò & altera causa laudari meretur, *Helmontio* notata, *l. asthma & tussis inscripto t.42.* Laticis ignorantia catarrhos finxit. Circulatio lymphæ læsa catarrhos efficit, sanguinis rheumatismum, utrobique agentis & patientis habitâ decenti ratione.

Circuli humorum apud antiquissimum *Coum*, nunquàm satis laudandum, manifestissima occurrunt indicia, ast temporum lapsu an injuriâ obscuratus sæpius fuit & confusus motus hic, unde, præter alios suo loco à nobis citatos, & *Lælius à Fonte consult. 21. p.148. & seq.* licet agnosceret motum cordis non rectum, sursum & deorsum, nec CIRCULAREM absolutè, (quod orbem perfectum non conficiat,) illum tamen CIRCULAREM, seu motum in orbem, quàm maximè imitantem; non pervidit tamen hæc penitius.

Simul exorbitantia fit talis, & defluxiones & fluxiones, catarrhi & rheumatismi præstò sunt. Hi fontes sunt genuini, unde scaturiunt vel cœcâ coitione, à quâcunque causâ occasionali enata vitia in motu, vel seminali præviâ labe, utrobiq; salino charactere simul impellente, rodente, & conspicuo.

Pluribus idem explicuit, in Dissertatione Inaugurali medicâ, Clarissimus & dignissimus Artis Apollineæ Candidatus, BARTHOLDUS KRüGERUS, cujus honestos natales, mores inculpatos, profectus laudatissimos descripta damus.

Pa-

Patriam nactus est Brunsvigam, Ducatuum inferioris Saxoniæ metropolin, natus Anno Messiano M DC LIII. ipso die XI. Martii, qui Gregorio sacer est, Patre Clarissimo & Doctissimo, PETRO KRüGERO, hodienum illustris, quod ibidem viget, Martiniani Lycéi ConRectore emerito, matre DOROTHEA ZIRENBERGIA.

Hi Parentes à teneris pietate, bonis & moribus & literis imbuendum commiserunt Scholæ patriæ Præceptorum publicæ ac privatæ Informationi. Adulto ingenii & corporis robore studiis dicatus aptatusque est fidelissimâ per triennium manuductione Clarissimi, Amplissimi & literatissimi M. JOHANNIS MORINGII, laudati Lycéi Rectoris famigeratissimi, non minus ac ipsâ paternâ, domesticâ publicâque. Quæ verò sanctior parentum cura fuerit? Quæ magis solicita de salute concrediti pignoris fides?

Uti verò transplantando germina sæpè adolescunt magis, & alio loco posita decentius formantur plantæ; sic quæ domi hauserat, consilio paterno & jussu Halberstadii egregiam accessionem acquisivère, fidelem opem conferente Clarissimo M. CHRISTOPHORO HENRICO LAUTERBACHIO, Gymnasii Cathedralis t.t. Directore, hodie Gymnasii Senatorii Lüneburgensis ProRectore meritissimo, cujus tàm dexteritatem quàm fidelitatem gratâ memoriâ veneratur. Ejus enim auspiciis & eloquentiæ præcepta hausit, & oratione publicâ de Poetis nascentibus probavit, in Logicis item & Metaphysicis non parum profecit.

Hîc cum per biennium substitisset, præsidiis literarum probè instructus ad almam hanc studiorum matrem, Salanam Academiam, accessit d. VI. Martii M. DC. LXXVI. Hîc verò nihil intermisit, quod ad ampliandam scientiam in Philosophico studio, & fœnerandam eruditionem in Medico, ad hoc enim naturali citabatur ductu, ullo modo faceret.

Illo nomine Lectionibus Physicis publicis Excellentissimi

mi Viri, CASPARIS POSNERI, Phyſ. Prof. celeberrimi delectatus eſt; atque informandum ſe intimiùs commiſit Cl. M. JOHANNIS WEISII, t. t. Amplisſimæ Facultatis Philoſophicæ Adjuncti, dexteritati; hoc verò Profeſſorum Excellentisſimorum & Celeberrimorum tam publicè quàm privatim ſectatus eſt fidelisſimam informationem.

Inter alia RUDOLPHUM WILHELMUM Krauß/ Phil. & Med. Doct. Pract. & Chim. Prof. Publ. & Facultatis Seniorem venerandum, de affectibus capitis & univerſi corporis partibus, operationibus item chimicis publicè docentem audivit.

Nec minus AUGUSTINUM HENRICUM FASCHIUM, Anat. Chirurg. & Botanices Profeſſorem & Archiatrum Saxonicum ſtudiosè ſecutus eſt, ſeu in horto medico, ſylvisque & montibus luxuriantes oculorum panegyri naturæ dotes exponeret; ſeu in Theatro Anatomico publicè vel domi cadavera humana proſecaret, ipſasque inde operationes Chirurgicas ad oculum demonſtraret.

Cùmque & meum poſtuletur teſtimonium, ſincerè profiteor, meis auſpiciis illum abundè profeciſſe. Cur enim non proficiat, qui datam diſcendi amplisſimam occaſionem ambabus amplectitur manibus? Publicis Lectionibus intereſſe gloriæ ſibi duxit, inprimis de facultatibus medicamentorum, & pharmaciâ propoſitis commentis; Exercitationibus item lectoriis & diſputatoriis in inſtitutiones medicas, de morbis mulierum, compoſitione medicamentorum; materiâ Medicâ, pathologiâ ſpeciali, & aliis.

Publice quoque edidit ſpecimen comparatæ eruditionis ſub noſtro Præſidio, E PHARMACIA IN A.F.R. DISPUTATIONEM V. ſtrenuè ventilando. Taceo, quæ domi hoſpitanti nobiſcum videre contigit hæc illa, ad uſum in praxi facientia.

Ut verò non perfecta ſolùm, ſed & matura ſtudia impenderet

deret publico, converſationem hinc elegit Doctorum virorum, innoteſcens Marchiæ luminibus variis, cumprimis moratus & praxeos comes redditus apud Nobilisſimum & Experientisſimum NICOLAUM SCHULTZIUM, Medicinæ Licentiatum, Medicum Provincialem Veteris Marchiæ felicisſimum. Inde praxi Stendaliæ exercitâ Ann. M. DC. LXXX. Oſtervvici, vocante Amplisſimo Senatu, conſtitutus Phyſicus Ordinarius ita inclaruit, ut, graſſante contagio peſtilenti, Summè Reverendi & Nobilisſimi Status Principatûs Halberſtadienſis Medicum Provincialem conſtituerent.

Cum itaque nil deſiderari poſſet, quàm ut tam dignè dudum promerito ſummi in Medicinâ conferrentur honores, rediit ad nos nuper eo fine. Admiſſus ſufficientisſimè probavit, quantum in Theoriâ doctus & praxi expertus eſſet.

Idem cùm facturus ſit in Diſputatione ſolenni, DE ARTHRITIDE VAGA SCORBUTICA, d. XI. Auguſti, ſub Præſidio laudati D. FASCHII, habendâ, Rectorem Magnificum, deſignatum Rectorem Magnificum, omniumque Ordinum ac Facultatum Proceres, Profeſſores, & Hoſpites officiosè & peramicè invito, ut honorificâ ac amicâ præſentiâ ſuâ actum hunc condecorare dignentur. P. P. d. V. Auguſt. A. C. M DC LXXXIII.

L. S.